



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE CHRISTO CAPITE|| TOTIVS ECCLESIAE,|| QVINQVE LIBRIS|| explicata.||

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

XIX. [Solutur argumentum Sextum].

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53845](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53845)



ipse est causa ut alij efficiantur Filij Dei. dicitur enim primum, quod est causa aliorum. Verum simplicior & magis ad literam videtur Ambrosij & Chrysostomi commentarii qui docent, primogenitum omnis creaturæ dici Filium, quod est genitus antequam vlla creatura fieret. quod clarius dicitur Ecclesiast. 24. *Ego ex ore altissimi prodij, primogenitus ante omnem creaturam.* Si enim ante omnem creaturam producit, non est ipse creatura.

Illud Hebr. 1. *Tanto melior Angelis effectus,* &c. Chrysostomus & Theophylactus exponunt, id est, declaratus, & exaltatus. nam hic agitur de statu adepto post resurrectionem. enim ait Paulus: *Purgationem peccatorum faciens, sedes ad dexteram maiestatis in excelsis, tanto melior Angelis effectus.* id est, post passionem exaltatus est, & declaratus tanto excellentior omnibus Angelis, quantum distat Filius gloriose conditione serui. Potest etiam dici cum CYRILLO lib. 8. theol. cap. 2. illud, *Effectus melior,* significare, magis honoratus, & estimatus. quomodo dicimus pluris facio, vel maius facio probum quam diuitem, Angelum quam hominem.

Ad vltimum patet responsio. Non enim dicitur simpliciter factus ad Hebr. 3. *sed factus Pontifex.* quod verissimum est, si intelligatur, ut debet intelligi, de Christo, quia homo erat, non quia Deus erat.

## CAPVT XIX.

*Soluitur argumentum Sextum.*

**V**LTIMA obiectio. *Beatius est dare quam accipere,* ut Dominus ait, Apostolo teste, Actuum 17. potest id ipsum ratione demonstrari; nam deus est diuitis & perfecti, accipere est indigne imperfecti: sed Pater dat, & Filius recipit. Dedit carnem Filio potentiam, Matth. vlt. *Data est mihi omnis potestas in celo & terra.* Dedit vitam, Ioan. 5. *Dedit ei vitam habere in semetipso.* Dedit sapientiam, ibidem: *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manus eius.* Et Ioan. 15. *Quaecumque audiui à Patre meo, non dico vobis.* Denique quidquid habet Filius, habet à Patre. Matth. 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo;* non igitur sunt æquales Pater & Filius, & multò minus sunt vnus Deus.

*filio equali  
pater. qd. accipit  
pater.*



Neque satisfaciet qui respondeat, Patrem dare quidem Filio omnia, sed naturaliter & necessariò, non liberè & gratuitò; tunc autem solùm beatius esse dare quam accipere, quando quis liberè dat. Nam etiam qui naturaliter dar, est perfectior eo qui recipit, vt patet de forma & materia, & celo & terra, & similibus. Addebant Ariani, omnia quidem quæ habet Filius, habere à Patre, sed nõ omnia absolutè habere, quæ habet Pater. Nam Matth. 20. dicit Filius: *Sedere ad dexteram meam & sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.*

RESPONDEO, tunc solum esse beatius dare quàm accipere, quando qui recipit est in potentia ad recipiendum; & proinde est indigens & imperfectus. Porro, Filius Dei sic accepit vitam, vt tamen nõquam fuerit non viuens; sic accepit potentiam & sapientiam, vt nunquam fuerit infirmus & ignorans: nam hæc omnia accepit nascendo, ab æterno autem natus est, & perfectus natus est. AUGUSTINVS lib. 3. contra Maxim. cap. 24. *Beatius est, inquit, dare quàm accipere, sed in hac vita vbi est inopia, qua vtiq; melior est copia.* Vide Augustinum & Chrysostomum in cap. 5. Ioan. vbi explicat Patrem demonstrare Filio, non docendo sed gignendo, & Filium audire à Patre, non discendo sed nascendo. Dicitur autem Pater demonstrare, & Filius audire, quia Pater communicando essentiam, communicat scientiam.

Ad illam confirmationem ex Matth. 20. dico cum Hieronymo, Chrysostomo, & Cyrillo lib. 10. thesauri, cap. 5. Christum voluisse dicere; non est meum, qui iustus sum & sapiens, dare vobis primas sedes, quia amici vel affines mei estis, sed iis, qui eas merebuntur; talibus enim Pater ab æterno destinavit; nec sine verbo, & Spiritu sancto destinavit.

At, inquires, illi merebantur; nam ait Dominus: *Potesis bibere calicem, &c.* respondentibusque, *Possumus, ait, Calicem quidem meum bibetis, sedere autem, &c.* RESPONDEO, per calicis epotationem illos meruisse regnum, sed non propterea primas sedes. Nam quòd omnia absolutè sint communia Patri & Filio, patet ex illo Ioan. 16. *Omnia qua habet Pater, mea sunt.* Et cap. 17. *Omnia tua mea sunt.*